

tum vel susceptum & suscipientis conjugem, Quod & expressè declaravit Pius V. in Constitutione quæ incipit *Ad Romanum* 14. in Bull. R.

XVI. Inde consequens, nihil ob stare, quod minus duo conjuges levant eundem de fonte: sed si alter conjugum propriam utriusque prolem levaret, vel etiam baptizaret cognationem hanc contraheret cum altero, quæ conjugii *usum* impediret, saltem donec Ordinarius dispensasset: excipitur autem casus necessitatis juxta responsum Joannis VIII. in *Can. 7. caus. 30. q. 1.* quod tamen in *fornicario* qui propriam prolem in necessitate baptizaret, non procedere probat Fagnanus ad *Cap. 2. De Cognat. spirit. n. 8. & sequentibus*; huncque consequenter cum fornicaria matre prolis baptizate *valide* contrahere non posse.

XVII. Uterius statuit Synodus Tridentina: "Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab illis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut Baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum vel eos ad suscipiendum tantum admittat; & in libro eorum nomina describat: doceatque eos quam cognationem contraxerint; ne ignorantia ullâ excusari valeant. Quod si alii ultra designatos Baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahant; constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus.

XVIII. Hæc quidem à Parochis diligenter servanda sunt; at tamen si neglecta fuerint nullisque in particulari designatus fuerit, & nihilominus infantem de sacro fonte susceperit & Baptizatum tetigerint, cognationem esse contractam verisimilius est. Quin si plures, quam duo contra Synodi præscriptum tenent aut suscipiunt Baptizatum, omnes contrahere cognationem, resolvit post alios Barbosa in *Collectaneis Doctorum ad citatum c. 2. Concilii Tridentini num. 38.* & ita S. Congregationem respondisse testatur Fagnanus ad *Cap. 1. De Cognat. spirituales num. 5.*

XIX. Si parentes nullum designaverint, nec etiam presentes sint, atque Parochus aliquem, forsitan fortuito præsentem, in patrum assumptis, eum, si Baptizatum susceperit, contrahere cognationem spirituales expeditum est: imò si designatum à parentibus parochus non admittat, & alium casu ingredientem in Ecclesiam vocaverit, ut Baptizandum puerum susceperet ac tangeret cum eo spirituales cognationem contrahi resolvit Ludov. cus Beia apud Barbosam loco citato *num. 41.*

XX. Nonnumquam contingit, ut quis per procuratorem seu mandatarium infantem de fonte suscipiat; quo casu aliquando inter Doctores disputatum fuit, à quo cognatio spirituales contraheretur, an à mandante, an à mandatario & immediate tangente: sed de consuetudine universalis receptum est, cognationem contrahi à mittente, non verò à procuratore: quia quæ agit procurator, non agit proprio nomine, sed nomine mittentis: tum quia mittens fuit designatus, non verò procurator. Ita post alios refert Barbosa *De Officio Episcopi parte 2. Allegat. 30. num. 50.*

XXI. Cum Synodus Tridentina tantum velit contrahi cognationem inter eos qui infantem de fonte levaverint, apparet etiam sublatum esse impedimentum impediens, quod per assistentiam in *Catechismo* seu instructione ante Baptismum olim contraheretur juxta *Cap. 2. De Cognatione spirituali in VI.* maxime ob generalia verba in fine Decreti à Synodo Tridentina adjecta: *Omnibus inter alias personas hujus Cognationis spiritualis impedimentis omnino sublatis.*

Unde rectè monet Zypæus in *Jure Novo* ad titulum *De Cognat. spirituali*, cum pueri domi baptizati sunt, & postea suppleantur preces & solennia in Ecclesia Patris hic *sancim* adhibitos, in libro Baptizatorum non

esse simpliciter ut Patris describendos, sed ut *Patris nos Catechismi.*

XXII. Quæ de cognatione contrahenda in Baptismo decrevit Synodus Tridentina, eadem servari voluit in ea cognatione, quæ ex Confirmatione contrahitur, ut scilicet hæc confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem ac tenentem non egrediatur.

Præterea quæ ad restringendum hoc impedimentum ex susceptione in Confirmatione proveniens decreverint Synodi nostræ Belgicæ, quoniam in Patris eligi desiderant, retulimus supra *titulo 3. cap. 4.*

XXIII. Cæterum quia jam pridem Ecclesia hoc impedimentum & hæc spirituales cognationem, præsertim in Baptismo ideò induxit, quod Patris credatur fieri quasi pater spiritualis suscepti; satis insinuat, curam spirituales à suscipiente tamquam patre ipsi suscepto tamquam filio esse impendendam; & quæ latius actum supra *titulo 2. cap. 4. & titulo 3. c. 4.*

XXIV. Non tantum ob conjunctionem carnalem & exinde ortam consanguinitatem impediri Matrimonium; sed etiam ob quandam honestatem & reverentiam quæ ab una persona alteri debetur, supra ostensum est ex Augustino; ac insuper notatum, ob eam rationem manere impedimentum inter filium adoptivum & uxorem adoptivam post solutam adoptionem: quia in honestum videtur, nuptias intercedere inter personas quæ aliquando inter se parentum & filiorum loco fuerunt.

Hæc ratione inductum quoque fuit impedimentum quod vulgo dicitur *publicæ honestatis.*

XXV. Oritur hoc impedimentum ex duobus; nimirum Matrimonio *rato non consummato*, & *Sponsalibus de futuro*. Licet enim nulla inter venerit conjunctio carnalis, atque ita proprie consanguinitas orta dici nequeat; tamen quia per Matrimonium mulier facta est vera uxor mariti; & per Sponsalia Desponsi saltem imperfectè jam conjuncti censentur, & quasi inchoarint contractum matrimoniale; minus honestum visum fuit, ut maritus cum consanguineis suæ uxoris quamvis nondum cognita, aut sponsus cum consanguineis sponsæ suæ nuptias contraheret.

XXVI. De hoc impedimento agit Gratianus *caus. 27. qm. 2.* atque inter alia Decreta profert unum sub nomine Julii Papæ, quo dicitur: "Si quis desponsaverit uxorem, vel libaraverit, & si præveniente die mortis, si sive irruentibus quibusdam aliis causis minimè eam cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus eamdem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.

Si authenticum esset hoc Decretum, de antiquitate hujus impedimenti ambigi non posset, sed cum Eruditis sit hodie sat persuasum, esse suppositum, nihil inde certi haberi potest; uti nec ex aliis quæ eam in rem allegat Gratianus, eò quod nihilo magis authentica sint. Illud sat certum, impedimentum hoc, in quantum ex Matrimonio rato oritur, se extendisse olim ad septimum gradum, exemplo impedimenti affinitatis; atque unà cum hoc per Concilium Lateranense censi restrictum ad quartum gradum.

XXVII. Ortum verò ex Sponsalibus de futuro similiter olim se extendebat ad eundem gradum, modo essent *pura & certa*; id est cum *certa & determinata* persona, licet quavis ratione *invalida*: & dummodò non essent nulla ex *defectu consensûs*, oriebatur impedimentum effectivum ad impediendum & dirimendum sequentia Sponsalia vel Matrimonia, *Cap. Unico De Sponsalibus in VI.*

XXVIII. At Synodus Tridentina edocta per experientiam de incommodis ex multitudine impedimentorum provenientibus hoc quoque impedimentum limitavit; decrevitque citatâ *Sessione 24. cap. 3.* "Justitiæ publicæ honestatis impedimentum ubi Sponsalia *quæ*

CAPUT VII. De Impedimento Criminis.

1. Adulterium apud Romanos impedimentum fuit.
2. Augustinus videtur adulterium pro impedimento agnovisse.
3. Etiam seculo IX. idem obtinuisse verisimile est.
4. Gratianus non videtur intellexisse Canonem Concilii Triburienfis.
5. Gratianus Canones generaliter de adulterio loquens restrinxit.
6. Gratiani auctoritas fecit ut hæc restrictio pro jure sit recepta.
7. Eam insinuat Alexander III.
8. Innocentius III. eam pro jure habuit.
9. Adulterium dirimit, si sibi mutuo fidem dederint.
10. Ignorantia potest eatenus excusare ut non oriatur impedimentum dirimens.
11. Alter casus quo adulterium hodie dirimit Matrimonium.
12. Homicidium quando dirimat Matrimonium.
13. Hæc impedimenta sunt juris positivi.
14. Quomodo de his populus monendus.

I. **M**ulta enim crimina impedivisse Matrimonium, supra notatum fuit. Inter hæc autem fuisse adulterium, dubium non est; neque illud solùm impedivisse, sed & dirimisse Matrimonium inter adulterum & adulteram, non obicere indicat Novella Justiniani 134. cap. 12. quod & apud Romanos cautum fuisse, colligitur non obicere ex *l. 1. §. 1. l. 40. ff. Ad L. Juliam de adulteris*. Unde ad dictam *l. 40.* notat Gothofredus: *Mulier nubere potest ei cum quo adulterum tantum insinulata est, non convicta.*

II. Idipsum probare videtur Augustinus *lib. 1. De Nuptiis & concupiscentia cap. 10.* ubi ita legitur: "Marito mortuo cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest cum quo prius adulterium fuit."

Refert quidem Gratianus *caus. 31. q. 1. Can. 2.* hunc textum Augustini sine negatione, sed perperam, uti post Correctores Romanos notavit Cujacius ad *Cap. 1. De eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per adulterium*; ubi quoque observat, juxta antiquos Canones, mulierem quæ sciens se præbuit alieno marito, nunquam potuisse cum eo Matrimonium inire.

III. Et quidem multis seculis eam disciplinam viguisse verisimile est ex *Canone 40.* Concilii Triburienfis anno 895. in quo generaliter definitur: "Non licet ergo, nec Christianæ religioni oportet, ut illis ea utatur in Matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio."

IV. In illo quidem Canone specialis casus proponitur & deciditur, nimirum quo adulteri sibi *mutuo fidem* dederant interposito juramento de in eundo Matrimonio post mortem alterius legitimæ partis; sed post decisionem casus, prædictam generalem conclusionem Patres subjiciant: quod non advertens Gratianus, fragmentum Canonis tantum referens, hanc ei epigraphen præfixit: *Post mortem viri non potest adulteram in conjugium ducere, qui viro vivente Juramentum sibi futurarum nuptiarum præbuit.*

V. Quin & Canonibus generaliter loquentibus ipse Gratianus hanc restrictionem adhibendam censuit: "Si nihil in mortem viri machinatus fuerit: vel si vivente viro fidem adulteræ non dedit, se sumpturum eam sibi in conjugem si viro ejus superviveret." Habetur post *Canonem 3. caus. 31. q. 1.*

VI. Cum autem circa seculum 12. & 13. auctoritas Decreti Gratiani ita invalisset, ut vix aliunde quam ex illo desumerentur quæ quæstionibus disciplina

conque ratione *valida non erunt*, sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem *valida fuerint, primum* gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispensatione observari.

XXIX. Synodus hæc agero de Sponsalibus proprie dictis sive de futuro, editâ speciali Constitutione quæ incipit *Ad Romanum 62.* in Bull. R. declaravit Pius V. "Attendentes (ait) quod Sponsaliorum appellatione, quæ dictum Concilium utitur, non nisi improprie Matrimonium verbis de presenti conceptis contractum continetur; quodque agitur de correctione juris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum est, præsertim cum longè major rem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de presenti contracto, quam in Sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur.

XXX. Nihil ergo circa impedimentum *publicæ honestatis* proveniens ex Matrimonio *rato non consummato* innovavit Synodus Tridentina; ideoque ex pristino jure illud etiam hodie extenditur ad quartum gradum: ita ut, qui Matrimonium contraxerit cum Catharina, eâ mortuâ ante consummationem, non possit validè contrahere citra dispensationem cum illa quæ Catharinam in quarto consanguinitatis gradu attingebat.

XXXI. Quin & hinc ulterius deducitur, hodie ex Matrimonio *quavis* ratione *nullo*, præterquam *defectu consensûs*, orti hoc impedimentum: quandoquidem jure veteri oriretur, & Synodus Tridentina nihil circa hoc impedimentum, quatenus ex contracto Matrimonio oritur, mutaverit; & hanc sententiam multis adstruit Fagnanus ad *Cap. AD AUDIENTIAM De Sponsalibus*.

Quo ad impedimentum hoc ut proveniens ex *Sponsalibus de futuro* in duobus jus commune cortexit Synodus Tridentina.

XXXII. Primum quidem contra Decretalem Bonifacii VIII. in *Cap. unico De Sponsalibus* in VI. sublatum prorsus est hoc impedimentum ex Sponsalibus *nullis*, non tantum *defectu consensûs*, sed *quavis* etiam *aliâ* ratione.

Sed quid si *valida* quidem ab initio fuerint, sed *mutuo consensu postmodum dissoluta*? Cum revera fuerint Sponsalia *valide* contracta, adeoque verum fuerint, ipsos fuisse Desponsos, non apparet ex mente Synodi, ea posse comprehendi sub Sponsalibus *invalidis* nec consequenter impedimentum *publicæ honestatis* ex hujusmodi Sponsalibus ortum à Synodo esse omnino sublatum: atque ita non semel resolvit S. Congregationem testatur Fagnanus loco citato *num. 29.* ac signanter 6. Julii anno 1658. Quæ resolutione ad Sanctissimum cum rationibus hinc inde deductis & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, ipse Sanctissimus die 10. ejusdem mensis prædictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit in dubium deinceps non revocari.

XXXIII. Secundò quo ad Sponsalia *valida* restrinxit Synodus hoc impedimentum ad *primum* gradum; cum jure communi extenderetur ad quartum: ideoque Sponsus hodie potest contrahere cum consanguinea sponsæ in secundo gradu.

Et quidem ut oriatur hoc impedimentum etiam usque ad *primum* gradum, requiritur, ut sint sponsalia *absoluta & valida*; id est, non conditionata, quorum effectus suspenditur à conditionis eventu; cum revera non sint absolute sponsalia ante conditionis eventum. Barbosa in *Collectaneis Doctorum ad citatum cap. 3.* Synodi Tridentinæ *num. 10.*